

Relinquere A

Utilius terrena opulencia tenetur humiliter, quam superbe relinquatur.

Augustinus ad Paulinum.

Relinquere B

Quid prodest dispargendo dare pauperibus et pauperem fieri, cum anima misera superior efficitur divicias contemnendo, quam fuerat possidendo.

Augustinus de vita clericorum.

Relinquere C

Qui celestis vite dulcedinem in quantum possibilitas admiserit perfecte cognoverit, ea que in terris amaverat cuncta derelinquit, in comparacione illius vilescunt omnia deserit habita, congregata dispergit, inardescit in celestibus animus, nil de terrenis libet, deforme conspicitur quicquid de terrene rei placebat spem, quia sola preciose margarite claritas fulget in mente.

Gregorius in homelia.

Relinquere D

Dominus non vult simul effundi opes sed dispensari, nisi forte ut Heliseus boves suos occidit et pavit pauperes ex eo quod habuit, ut nulla cura teneretur domestica.

Ambrosius libro 1. de officiis.

Relinquere E

Ecce nos reliquimus omnia et cetera. Grandis fiducia, Petrus piscator erat, dives non fuerat; cibos manu et arte querebat et tamen loquitur confidenter reliquimus omnia, omnia enim reliquit qui voluntatem habendi deservit.

Hieronymus super Mattheum.

Relinquere F

Apostoli quantum ad divicias nichil, quantum ad voluntatem totum mundum reliquerunt.

Hieronymus ibidem.

Relinquere G

Licet in collo tuo parvulus dependeat nepos, licet sparso crine et scissis vestibus, ubera quibus te nutrierat mater ostendat, licet in limine pater iaceat, percalcato perge patre, et siccis oculis ad vexillum crucis evola. Solum pietatis genus est in hac re te esse crudelem.

Hieronymus in quadam epistola.

Relinquere H

Apostolici fastigii perfectaeque virtutis est, omnia simul vendere et pauperibus erogare et sic expeditum cum Christo ad celestia volare.

Hieronymus in epistola.

Relinquere I

Festina queso te et habenti in salo pedem naviculae funem magis prescinde quam solve.

Hieronymus ibidem.

Relinquere K

Facilius sacculus contemnitur quam voluntas. Multi divitias relinquentes Dominum non sequuntur. Sequitur autem Dominum qui imitator eius est, et per vestigia illius graditur.

Hieronymus super illud Matthei: Si vis perfectus esse, vade et cetera.

Relinquere L

Gladium tenet hostis ut perimat me et ego de matris lachrimis cogitabo?

Hieronymus in epistola ad Heliodorum.

Relinquere M

Crates Thebanus homo quidem ditissimus cum ad philosophandum Athenas pergeret, magnum auri pondus abiecit, nec putavit se simul posse virtutes et divicias possidere. Abite, inquit, male cupiditates; ego vos mergam ne summarger a vobis, philosophus glorie animalis et popularis aure vile mancipium totam simul sarcinam deposuit.

Hieronymus in epistola.

Relinquere N

Quasi quodam iugo servitutis premunt prospera dum appetuntur, premunt adversa dum formidantur, ac si quis semel a dominacione desideriorum temporalium colla mentis excusserit, quadam iam eciam in hac vita libertate perfruitur, dum nullo desiderio felicitatis afficitur nullo adversitatis terrore coartatur.

Gregorius libro 30. moralium.

Relinquere O

Multum enim reliquit qui sibi nichil retinuit, multum reliquit qui quantumlibet parum totum deservit. Certe nos et habita ex amore possidemus et ea que minime habemus ex desiderio querimus. Multum ergo Petrus et Andreas dimiserunt, quando uterque desideria habendi dereliquit, multum dimisit qui cum re possessa eciam concupiscenciis renunciavit. A sequentibus ergo tanta dimissa sunt, quanta a non sequentibus concupisci potuerunt.

Gregorius homelia 6.

Relinquere P

Multa fratres relinquitis, si terrenis desideriis renunciatis, exteriora enim vestra quamvis parva Domino sufficiunt, cor namque et non substanciam pensat, nec perpendit quantum in eius sacrificio, sed ex quanto proferatur.

Ibidem.

Relinquere Q

Quisquis divini stimulo a moris excitatus hec possessa reliquerit, illic proculdubio culmen iudicarie potestatis obtinebit, ut simul iudex tunc cum iudice veniat, qui nunc consideratione iudicii sese spontanea paupertate castigat.

Gregorius in homelia super illud: Vos qui reliquistis et cetera.

Relinquere R

Qui vult venire post me, abneget semetipsum et cetera. Ad se venientibus Dominus precipit, ut renunciemus nostris, quia qui ad fidei agonem venimus luctamen contra malignos spiritus summimus. Nichil autem maligni spiritus in hoc mundo possident proprium, nudi ergo cum nudo luctari debemus, nam si vestitus quisque cum nudo luctatur, cicius ad terram deiicitur, quia habet unde teneatur. Quid enim sunt terrena omnia nisi corporis indumenta? Qui ergo contra diabolum ad certamen properat, vestimenta abiiciat ne succumbat.

Gregorius in homelia.

Relinquere S

Si vultis omnia retinendo relinquitis, ut cum tota mente ad eterna tendatis. Si enim nichil in hoc mundo amando possidetis, eciam possidendo cuncta relinquitis.

Gregorius in homelia.

Relinquere T

Illi qui ex possessis rebus subsidia egentibus ministrant in bonis que faciunt sacrificium offerunt, quia aliquid Deo immolant et aliquid sibi reservant. Qui vero nichil sibi reservant, offerunt holocaustum quod maius est sacrificio.

Gregorius super Ezechielem.

Relinquere U

Ecce nos reliquimus omnia et cetera. Bene Petre non ad insipientiam tibi, quia exultavit ut gigas ad currendam viam nec currentem sequi poterat oneratus. Nonne utilis commutatio pro eo qui super omnia est reliquisse.

Bernardus in colloquio sermonis ad Petrum.

Relinquere X

Omnia non tantum possessiones sed eciam cupiditates. Plus enim mundi concupiscencia quam substantia nocet, et hec fugiendarum causa diviciarum precipua est, quod aut vix, aut numquam sine amore valeant possideri. Facile enim cor humanum omnibus que frequentavit adheret.

Bernardus ibidem.

Relinquere Y

Qui relinquere disponis omnia, te quoque inter relinquenda numerare memento, immo vero maxime et principaliter abnega temetipsum, si desideras sequi eum qui exinanivit propter te semetipsum.

Bernardus ibidem.

Relinquere Z

Zaccheus cuius laus est in ewangelio dimidium bonorum suorum dedit pauperibus, sed ego multos Zaccheos hic video qui nichil sibi ex omnibus relinquere. Quis michi scribet hoc ewangelium de Zaccheis istis, immo de Petris istis, qui fiducialiter loquuntur Domino, ecce nos relinquimus omnia et secuti sumus te? Sed scriptum est iam in ewangelio eterno in libro vite est scriptum et signatum.

Bernardus sermone 105.

Relinquere AB

Si itaque quis renunciat quibus possidet omnibus et suis non renunciat moribus non est Christi discipulus, qui enim renunciat rebus suis, sua abnegat, qui vero renunciat suis moribus seipsum videlicet abnegat.

Isidorus libro 3. de summo bono.

Relinquere AC

Nichil proderit pecunias non habere si voluntas fuerit in nobis possidendi. Miserabile autem est paupertatis ac nuditatis estus tollerasse, fructus vero earum casse voluntatis vicio perdidisse.

Iohannes Cassianus de institutione monachorum libro 7.

Relinquere AD

Nemo est qui non habeat quid dimittat. Universis renunciavit facultatibus mundi quisquis affectum possidendi eas radicitus amputavit.

Ibidem.

Relinquere AE

Nonnullos huius mundi maximas facultates et non solum multa auri et argenti talenta, verum etiam et prediorum magnificenciam contemnentes, post hec vidimus pro capello, pro graphio, pro acu, pro calamo commoveri; qui si utique contemplacionem mundi cordis fixam tenerent, numquam utique pro parvis rebus amitterent, quod ne pro magnis ac preciosis incurrerent opibus eadem penitus abiicere malverunt.

Idem in collacione abbatis Moysi 1.

Relinquere AF

Plerumque tanto zelo codicem servant, ut eum ne leviter quidem legi vel contingi ab aliquo sinant, et inde occasiones impaciencie ac mortis acquirere. Cumque omnes divicias suas pro Christi amore disperserint, pristinum tamen cordis affectum in rebus minimis retinentes et pro ipsis nonnumquam volubiliter irascentes, veluti qui non habent apostolicam caritatem ex omnibus infructuosi sterilesque redduntur.

Idem in collacione abbatis Moysi.

Relinquere AG

Prima abrenunciatio qua corporaliter universas divicias mundi voluptatesque contemnimus, secunda qua mores ac vicia affectusque pristinos animi carnisque respuimus, qua mentem vestram de presentibus universis ac visibilibus evocantes, futura tantummodo contemplamur et ea que sunt invisibilia concupiscimus.

Ibidem.

Relinquere AH

Prima renunciatio rerum alienarum est, ideoque per se solam perfectionem renuncianti conferre non sufficit, nisi pervenerit ad secundam, que vere abrenunciatio rerum nostrarum est, quibus adeptis expulsio est omnium viciorum. Tria igitur abrenunciacionis fastigia conscendimus et ita demum illud summum mereamur audire quod dicitur ad Abraham. Veni in terram quam tibi demonstravero, quia perfecte renuncianti tribuitur, ut terram promissionis intrare mereatur.

Ibidem.

Relinquere AI

Pudet dicere ita plerosque abrenunciasse conspicimus, ut nichil amplius immutasse de interioribus viciis ac moribus comprobentur, nisi ordinem tantum atque habitum secularem. Nam et acquirere pecunias quas nec ante possederunt, quod famulos suos exinde vel fratres alere se debere iustum esse contendunt, quibus profecto non proderit maiores opes ac substancias contempsisse qui affectus earum ad quos ille contemnende sunt in res parvas atque exiguas transtulerunt. Nam viciium cupiditatis atque avaricie quod erga species preciosas exercere non possunt circa viliores materias retinentes non abcidisse, sed continuasse se probant pristinam possessionem. Nam nimia devicti diligencia erga psalterii amorem sportelle saccelli codicis aliarumque rerum quamvis vilissimarum, eadem tamen quam ante libidine detinent, et ab aliis concertacione defendunt, que universis fratribus debent esse communia.

Ibidem.

Relinquere AK

Quid differt utrum quis perturbationem cupiditatis erga opes amplas atque magnificas, an erga viliores exerceat species, nisi quod in eo reprehensibiliter iudicandus est, quod qui magna spreverit, minimis obiurgetur? Ideoque perfectionem cordis abrenunciatio ista non obtinet quia cum censum habeat pauperis, non abiiecit divitis voluntatem.

Idem in collacione Danielis.

Relinquere AL

Hoc distat inter renunciare omnibus et relinquere omnia, quia renunciare convenit omnibus qui ita licite utuntur mundanis que possident, ut tamen mente tendant ad eterna. Relinquere est tantummodo perfectorum qui omnia temporalia postponunt et solis eternis inhiant.

Beda in glossa super illud Luce 14: Qui non renunciaverit omnibus que possidet, non potest meus esse discipulus.

Relinquere AM

Non sufficit ad perfectionem omnia relinquere nisi post contemptas divicias salvatorem sequatur, id est relictis malis faciat bona. Facilius sacculus contemnitur quam voluntas. Multi divicias relinquentes Dominum non sequuntur.

Rabanus in glossa super illud Matthei 19: Veni et sequere me.

Relinquere AN

Quemadmodum qui amorem exuere conatur evitanda est omnis admocio corporis dilecti, nichil enim facilius quam amor putrescit, ita qui deponere vult desiderium rerum omnium quarum cupiditate fragravit et aures et oculos ab hiis que reliquit avertat.

Seneca 70. epistola.

Relinquere AO

Sunt quidam qui questum contempserunt nulli alii rei quam questui vacantes. Excute illos qui que cupiere deplorant et de earum rerum loquuntur fuga, quibus vacare non possunt.

Seneca 12. epistola.

Relinquere AP

Veni dixit, non tantum incessu pedum quam revocatione morum, quod est non ambire terrena, non caduca lucra sectari, fugere honores infimos contemptum omnium mundique, celestia libenter amplecti cunctis prodesse, amare iniurias, nulli inferre ac illatas paciente sufferre, sed et inferentibus veniam a Domino postulare, non suam sed conditoris sui gloriam querere, quicquid valet ad amorem supernorum eligere, hec et huiusmodi gerere est vestigia sequi.

Rabanus in glossa super illud Matthei: Veni sequere me.